

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARI<sup>II</sup>  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Xa. 4

# DE LACRI<sup>me</sup>

MIS  
I. I. V. SALOMONI ET  
STUTIJA PRÆSIDENTIA  
SALOMONE ALBER-  
TO NORIBERGENSI  
MEDICINÆ DOCTORE  
ET PROFESSORE EIVS PVBL.

Disputabit

M. MICHAELVS HENIG DRES-  
densis:

Testimonium profectus sui in doctrina & usu artis me-  
dicæ accepturus,

Die Nouembris xvii. in lectorio Collegii Maioris  
mane hora vii.

VITÆ BERGÆ

11)

IN NOMINE VIRI  
OPT. PIETATE ET VIRTUTE  
præstantissimi ANDREAE BEHAMI,  
ciuiis Noribergensis,

Patroni & compatriis sui cum primis officio-  
se colendi:

Has de Lacrimis theses suas apparere  
voluit

SALOMON ALBERTVS  
Medicinæ Doctor & Professor eius  
publicus in

ACADEMIA VITÆBERGENSI.

VITÆBERGENSIS

# THESIVM DE LACRIMIS PRIMA.

**L**ACRYMA *QVASI DACRYMA* dicitur Liuio Andronico, voce de Græca dūcta, haud scio quām rectē. Alij deriuant à laceratione, ut sit quasi lacerima lacrima: estq; degenerē τῶρ διπολογιζμένωρ. Δάκρυορ autem Grammaticorū senatus esse vult, ἀπὸ Τσαῶ δάκρες ἔχει: vel, ut Phaborino placet, παρὰ τὸ δάκνει, οἵ δακνομένης τῆς φυχῆς ἐξέρχεται. quod cum morsu, & quasi punctione quadam animi, id est, dolore manet, et si profluere etiam gaudio solet.

## II.

Plato in Timæo, cuius altera est inscriptio ψφίφυσεως, lacrimam ita finit, quod sit νέα φλέγμαθε ξανισαμένης ὁρέως. Empedocli statuit esse ἄιμα τηκόμδυο, ἢ πρὶ τὸ λεπτώμδης διαχεόμδωρ, authore libri, qui inscribitur de historia philosophica, & Galeno ascribitur. Plutarchus reformidans nomen θήσεως, à quo neq; Theophrastum sibi temperasse accipimus, in libello ψφίφυσι φυσιῶρ affirmat, τὸ δάκρυορ, ψφίφε γάλακτορ ὁρέων εκκρέως, τὸ δάκρυορ ταραχθέντο. In eo igitur omnibus conuenit, quod lacrima sit ὁρέωδης ή δακτωδέστιο.

A 2

Nos,

Nos, ne in patrios cineres videamus mingere velle,  
 priscam illam veterum diligentiam, quæ se temporum &  
 quietate sustentat, notandum aliis relinquimus. Itaq;  
 lacrimam describimus in praesentia: Lacrima est ixœ, qui  
 una cum sanguine ad cerebrum diditur: cumq; ob natura  
 sua tenuitatem non sit nutriendo, ab ὀικείᾳ τροφῇ cerebri, ve-  
 lut à lacte serum, secretus, perq; rariorem eius substantiam  
 quasi colatus, in tertium ventriculum confluit: mox  
 a siduo sursum exstuantum expirationum turbine ac vi  
 subinde adactus, in peluum indidem corruatur: tan-  
 dem vel à perturbatore corde, vel alia quacunq; de causa  
 incitatus, per elices prorsum pertinentes carneo corpori  
 maiori angulo incubanti, adigitur, hincq; peculiaria  
 spiramenta, quorum singula singulis palpebrarum crepi-  
 dinibus, propè internos oculorum hirquos, ad ciliorum fi-  
 nes incisa sunt, foras scaturiendo sudoris more guttatum  
 profunditur, muscularis faciei partiumq; finitimarum sese  
 vibrantibus, alias cum, alias sine eiulatu, suspiriis, gemi-  
 tibus, atq; intercisa ac ceu subsingultante, aut ηλαυθυω-  
 σε respiratione, anima, dum ultrò citroq; ducitur, subinde  
 offensante, voceq; in fauibus confracta, non etiam nun-  
 quam prorsus elisa: non obscurus index affectionum tam  
 animi, quam corporis.

Humor

III.

Humor ipse autem Platoni, Aristoteli & Theophrasto aut sudor quidam est, aut sudori germanus, ut & locatio: una siquidem est eademq; φύσις, ὥλη καὶ τρόπος γενέσεως  
mūnū, loci duntaxat emissaculorumq;, & excernendi  
ratione, tūm etiam cultu sive elaboratione inter se di-  
stincta.

V.

Nam dum chyli tremor in epate tanquam foco suo fer-  
uet, & in benignitatem alimenti beneficio caloris ingenia-  
taq; visceris proprietate excoquitur, πριτῶματα quadam  
residua manent: quorum unum flori in vino, alterum feci  
respondet: Vtrumq; à sanguine, puro corporis alimento,  
vi concoctricis secernitur atq; secedit, alterum quidem le-  
uius, magisq; aereum, in folliculum reducta iecinoris regi-  
oni subnexum: alterum grauius magisq; terrenum in lie-  
nem abstruditur, conceptaculum eliciendis sanguinis feci-  
bus destinatum. Tertium confusum sanguini una cir-  
cumfertur, ut fibrarum copia crassum illum ac lentum di-  
luat, perq; gracilimas venas tanquam vehiculum com-  
modius deducat in extrema corporis, ne ullius partis geni-  
us usufructu eius defraudetur.

VI.

Simulac verò postremum hoc munere vehendi suo

A3 per-

perfunctum fuerit, partim per easpiracula, quibus cutim  
natura passim pertudit, alias vaporis specie nullo sensu  
euolat, calore prius fusum extenuatumq;: alias sudori-  
bus exhauritur. Partim per peculiares illos & intestinos  
palpebrarum meatus diffluens, argumentum lacrimis  
præbet. Partim deniq; ad renes defertur, percolatum in-  
de à sanguine ac sequestratum vesica appellatur, ut mictu  
foras profundi tandem queat.

## VII.

Ex quo iam hoc consequitur, lacrimarum prouen-  
tum non ab oculis esse, sed eò aliunde tanquam ad confe-  
rentia emissaria abijci. Excrementa quæ in oculis, & ab  
his de non confecto neq; absumto alimento consunt, præ-  
parca sunt disparisq; substantiæ. Crassius quidem in nares  
confluit. Quod si oculi vitio congestum fuerit, angulis im-  
pactum foris obhærescit, ac ciliis sese lentore suo implicat,  
παιπέπτα τροφῆς πρότιμα, neq; tam lacrima est, quam λίπη,  
quamvis Suidas aliter finiat, quasi sit δάκρυον τεπηγός. Alterū  
liquidius estet aquosius, cuius madore cornea siue pellucens  
tunica subinde tersa pure nitet, & pomum oculi irrigatur  
πρὸς ἐνκίνσια, prorsus eius, seu λιπαρότερον seu γλυκότερον more,  
quam Galenus inter duas illas productiones reponit, qui-  
bus periostium à superciliorum labris ad tarsum usq; ab-  
ductum,

m  
su  
it  
os  
is  
r  
iu  
  
ductum, per internam palpebram, intra orbitam oculi  
versus iridem sese replicat atq; reflectit.

VIII.

Super scatebra lacrimarum diuortia sunt apud au-  
thores. Quidam contineri eas afferunt in medullaceo cor-  
pore cerebri, sinuosis passim inuoluto meandris atq; im-  
plexibus: alij in ipsis cavitatibus sue ventriculis: qui-  
dam in oculorum meatibus: nonnulli in venis, tam ijs  
qua extra caluam sunt, & à Philistione pro more Dori-  
ensem & ioi appellantur, quam qua intra eandem recon-  
duntur, ad oculos & horum musculos tunicasq; pertinentes, ut alimentum ijs impertiant.

IX.

Cassij Iatrosophistæ, quisquis sanè ille fuerit, non  
fuisse autem classis inter Methodicos infimæ testantur  
eius problemata, licet ad plebis vulgiq; iudicium, cogno-  
men ipsi factum sit: eius igitur commentatio de lacrima-  
rum fonte planè mirifica est. Nam 27 prob. ubi oculorum  
percenset humores, ita insit: ἢ τὸ κατάδηλον, ὅτι ὁ φθαλμὸς οὐ γε  
πρέπει, τόπε διδαπῶσθε, αφ' ὃν τὸ διδάκησον, οὐ τὸ κρυσταλλοειδές; οὐ τὸ οὐλοειδές.

X.

Huic quidem delibantur lacrime ab humore aqueo,  
quem ab albuminis diuerberati optimeq; confracti simi-  
litudine, νερόν ποεδεῖς appellantur: quorsum alludere voluisse  
etiam

etiam ἐτυκολογῶντας τὸ κρόμνον existimare quis possit, ideo sic dictū, ὡς τὴν κόσμην ποιεῖν συμμένει, quod pupillam comprimente lacrimas prouocet.

XI.

Verum cùm necesse sit, maiore albuginei humoris parte imminuta exhaustaue, aciem cernendi non solum prestringi, sed omnino etiam deperdi, nisi de probo corporis alimento instaurata fuerit, fidem illius rei penes authores relinquemus.

XII.

Atq; hæc de fonte lacrimarum vniuersa videntur nobis astrui paullò audacius. Maluimus igitur tertiam cerebri cavitatem materię lacrimarum destinare, qua non tam venter est, quam deiectus quidam inter duos priores ventriculos relictus, superstante fornice suae testudine, in cuius anteriorem humilioremq; ductum, rectè habente se natura, humida purgamenta cerebri, tanquam insentiam exonerata, confluunt, indeq; in pelvum & glandem, in sella ossis cunei ei subditam, instillantur.

XIII.

E sella utrinq; aperiuntur itinera, duo quidem retrò deuia atq; declivia in palatum, totidem prorsum ad oculos, nempe per foramen trajectui secunda coniugationis nervorum cerebri incisum, humilioreq; sui facie paullò minus

minus toto orbiculare: elatiore verò in acutum longumq; & angustum desinens angulum.

XIII.

Per priora illa plurimum crassioris pituitæ sanè quam promptè palato influit, unde postea facile ali- quid bipatentibus narum tramitibus, inclinato præ- fertim capite, aut instillari, aut operosius & maiore vi adigi potest, animæ nimirum impulsu à pulmoni- bus respirata.

XV.

Eadem namq; pituitæ in nares è faucium summo via est, qua spiritui patet remigranti è pulmonibus, cuius violentiore exsufflatione inter emungendum ster nuendumq; illa exturbatur: atq; hoc certò constat, quoties pectus ex prono humorum in fauces procubitu periclitatur, reuelli eos in nares per <sup>expirat</sup> posse. Immò tam frustilla esculentorum, quam potum adgösos elidi hac nonnunquam solere in iis, qui vomunt, aut in tempestiue inter mandendum bibendumq; rident, loquuntur, sternunt: aut ad tussim instigantur, grumo solidioris cibi in arteriam deerrante.

XVI.

Quò autem deductus ille pituitæ fieret commodi- us atq; securius, prouida rerum & utilitatum omni-

B. um

um solersq; natura, tramites narium osse obduxit  
squammeo, & arcus in modum fornicate, in quos,  
qui prope nasum utring; adiacent, meatus intra capa-  
citetem eius hiscentes, in hominibus penè ad perpen-  
diculum, in animantibus, quibus utraq; genarum pro-  
ductio est, nōdūs dēvīwōnōp incident, fidem faciente nobis  
āurofīa.

### XVII.

Quantum porrò de pituita cerebri prorsum fertur  
ad oculos, id similiter, posteaquam in oculi sedem per  
foramen secundi paris neruorum cerebri incidit, bifa-  
riam educitur. Nam quod crassius est grauiusq;  
euestigio per infernam orbitæ oculorum rimulam rur-  
sum elabitur in quandam velut abyssum, inter os cunei  
& quartum maxillæ, ad palatum naresq; utring; desti-  
nentem, unde magis ad fauces, quam ad nasum im-  
pellitur.

### XVIII.

Quod λεπτόπορū iδανοδέσεοp; ideoq; ad quemuis im-  
pulsum sequacius est, id quocunq; sanè modo, & qua-  
cunq; de caussâ actum citumue fuerit, in glandem fer-  
tur, à cuius carne ρατὰ διαπιδησιρη δικίθησιp; sorbetur, mox  
in quandam eius sinum, peculiariter ad id subter in-  
sculptum, deponitur, materia proxima & immediata  
lacrimarum.

Sinus

## XIX

*Sinus (quem communem inde cognominant, quod gemina palpebrarum spiramenta in eum conueniant) statim sub glandosa caruncula in hominib⁹ obuius est, quod notauit etiam Fallopius, et recte id quidem. Non verò nullis animantibus idemmet intra os squammosum abstruditur, aliás ἐπιπολῆς, ut bobus: aliás verò paullo inferius, ut ceruis & apri, idq; pro capitum mensu habituq; differente, qua anteriore parte in quibusdam animantibus brevia sunt atq; contracta, aliis longius porrecta.*

## X.X.

*Prius autem quam spiramenta in sinum coalescant, aliquò usq; distincta feruntur atq; disclusa, in ceruis quidem osseō diaphragmate, dentis instar exerto, summaq; sui parte, qua carunculam angulorum admittit, exasperato: in bobus verò apice πυραμοδώς introrsum prominente, similiter aspero: In apri medium os, quo ductus illi ante sinum intersepiuntur, planius est magisq; depresso: Vidimus in aliquot calvis hominum vice dentis aut apicis prætenuem lamellam, extra quartum os genæ superioris audentius procurrere, commodioris seu diremptus, seu deductus spiramentorum gratia.*

B 2

Tuni-

XXI.

Tunica, qua ductus illi in osse ubiqz, succin*et*i sunt,  
satis crassa est, at minus densa, minusqz stipata, sed  
passim & prae*cipu*e vero in itinere, quo ad sinum per-  
gunt, & in hoc, impressionibus quibusdam obsita, per-  
cu*is* textum liquidior cerebri humiditas, certe multo  
promptius e glande colari potest, quam per densissi-  
mum cordis septum sanguis e dextro in sinistrum specu-  
exsudare, si modo is non potius e vena arterialis pro-  
paginibus, saturatis iam inde pulmonibus, in surculos  
arteria& venosa per  $\alpha\alpha\sigma\omega\sigma\omega\sigma\omega$  transsumtus, in sinistrum  
thalamum cordis defertur: Quo de nunc quidem litem  
facere nostram non volumus, neqz hoc ad nostrum in-  
stitutum pertinet.

XXII.

Impressiones eas et si interim poros nominare non  
licet, cum obscurum sit, quo usqz tendant, & an tuni-  
cam permeent: medicamentorum tamen, que oculis  
injiciuntur, aut duntaxat illinuntur, saporem non ita  
multo post in ore percipimus. Rursum quoties clauso  
ore, nasoqz digitis compresso, expirare enix*e* cupimus,  
oculos ab incidentibus velut puluere atqz festucis re-  
purgaturi, glans ingenu*e* gliscit atqz intumescit ab  
adacto in carnem & membranam eius aere.

Quid?

XXIII.

Quid? quod ipse ille aër, & una cum eo aliquid appulsi humoris illac prorumpere se per numerò sentitur: qua quidem res multò testatio est, quam ut prolixioris probationis indigeat: ita luculenter laxa, tamq; rari textus est, non modo caro glandis, sed & membra na, qua facies eius anterior praecingitur, oculo palpebrisq; communis.

XXIII.

Certè enim Natura passim in corporibus ope caloris & spiritus nouos insolentesq; aditus sibi ipsa moli- tur, ac velut cuniculos agit ad iniuria quæq; et inaccessa, aut minus expedita itinera usq; eò amplificat, ut multa eorum, qua neq; ex sese, neq; ex solo corporis mo- mento atq; impulsu transire queunt, liberè permeent.

XXV.

Verùm enim uero cavitates & spiracula omnis ge- neric in viuentibus semper magis obuia sunt sensibus, quam in cadaueribus, in quibus ob discessum caloris refrigerata corpora, imprimisq; coriacea, in sese co- guntur, & pori ipsorum obliterantur.

XXVI.

Hec ita sese habere nobis quidem in tanta cada- uerum paucitate perceptum hactenus est: verum in

B 3 medi-

medium haudquaquam ideo prolatā, ut insectando  
sugillaremus, quæ à dexterrimo & oculatissimo ana-  
tomico Fallopio benè obseruata sunt, & in hominum  
luce posita: sed ea potius, sicuti manca quodammodo  
atq; imperfecta, neq; ad intelligendum lacrimarum  
naturam, vel earundem deriuationes satis esse vide-  
antur, addendis nostris suppleremus, adeoq; cotis fun-  
gentes vice, nostrorum hominum studia atq; industri-  
am in inquirendo excitaremus atq; acueremus. De  
quibus ὡς ητα λόγος ἐκελώτινα satis.

XXVII.

In communem igitur sinum tanquam in cister-  
nam ros cerebri compulsus, & aliunde incitatus, per  
meatum in singulis palpebris calatorum oscula foras  
punctim hiscentia, & tam in morte consumptis, quam  
viventibus conspicua, guttatum exstillat, aquæ con-  
similis pelluciditate atq; consistentia.

XXVIII.

Humores aliunde quam hac erumpentes oculumq;  
perfundentes, non tam lacrimæ dicendi sunt, quam  
vysceroris quadam vel insacia, quemadmodum alimenti  
reliquiae, quæ passim è corpore, sed citra violentum  
motum emanant, iherius dicitur, hoc est, mador, quam  
idq; appellantur. Ab

### XXIX.

Ab hoc diuersum statuit Realdus, qui quaternis illis glandulis, quas de sententia Galeni, sed contra obseruationes Anatomicorū posteriorum, intra orbitas oculorum infrā supraq; ad rigandum eos reponit, lacrimas acceptas fert, e quibus postea mōrōre aliāue caussa constrictis scaturiant.

### XXX.

E sinu oblongior tubulus ductu continuo descendit in nares, transuerso earū tramiti in nobis rectā, in brutis μακρογυχοτέροις obliquē, ut dictum est, incidens: per quem quicquid in lacrimas non absimitur, & ipsi sinui oneri est, exhaustiri solet. Representat is, vna cum duobus spiramentis, elixat & gena exemptus, literam Pythagoræ, aut furcam, qua stramenta feruntur.

### XXXI.

Sapientia hactenus commemorata spiramenta Galeno nequaquam præterita sunt, quemadmodum nec illorum usus, licet nomen eius ab omnibus, quotquot nobis quidem pellegere contigit, hactenus fuerit suppressum. Nam in 10 πρὶς ζεῖας cap. II, meminit λεπτῷ πάντα τῶν κατὰ τὰ βλέφαρα, paullo extra maiorem angulum occurrentium, & ad nasum usq; desinentium: quibus id muneris concreditum sit, ut tenuem humorem

rem accipient, dentqz vicissim. Dent quidem, quoties  
redundat, at cum deficit, accipient, quo sartate  
uetur tam palpebrarum quam oculorum κατά φύσιν συμ-  
μετρία, ad agilitatem motuum.

XXXII.

Eadem à Basilio & Phaborino πόσοι ὁχετοὶ κατὰ  
τὸν ὄφελον, nobis à deferendi prouincia alibi πόσοι δι-  
καιοφόροι vulgo chirurgorum recentium lacrimalia ap-  
pellata fuere. Ipsi hirqui verò propter nasum & radice  
earum siti, σαντῆς ab humoris inspersu, & πηγαὶ la-  
crimarum fontes: hirquorum radices Polluci ἐγκενδι-  
ῶν επικανδίδες nominantur.

XXXIII.

Etsi autem neqz, capacitas hirquorum, quibus la-  
xaglans & bibula insidet, neqz, restagnantis eò humo-  
ris demensum tantum est, ut diu queat sufficere: unde  
Rhetor Apollonius nequaquam inscitè, neqz οὐευλόγε  
dicere solitus fuit: nihil citius arescere lacrima, præser-  
tim in alienis malis: ne tamen commeatus ad uberes  
cōtinenterqz, scatentes lacrimas unquam desit, non so-  
lum materiam suppeditat cerebrum, in multis natura  
sua, & statim à vita primordio πλαστώπον, atqz, ichore  
prægnans grauidumqz, sed & vena, quibus cerebrū tan-  
quam siphonibus conspersum est, aliquid subinde ex-  
puunt

puunt atq; eructant: immo vasorum genus uniuersum,  
Et culina totius corporis, undiq; de suo aliquid, atq;  
adeò multum conferre Et impendere solent.

XXXIII.

Equidem trunko corporis caput velut tectum  
quoddam fumosæ domui superpositum est, quod secun-  
dum Hippocratem cucurbitæ ritu ab infernis libat sor-  
betq; omnis generis fuliginosa Et vaporosa recremen-  
ta, quaæ inter concoquendum vi caloris eduntur: ea  
illisæ cerebro, indidemq; repercussa, perinde in aquam  
frigore eius addensari contingit, atq; terrarum expira-  
tiones in imbrem, aut halitus in turbine ac meta de-  
stillatitia in guttas roscidas concrescunt.

XXXV.

Nimirum hinc Et non aliunde deduci posse viden-  
tur in gurgitibus atq; gulonibus, suo mancipatis ven-  
tri, vis illa Et rigantes orarii lacrimarum, quas sa-  
pè, facile Et ubertim profundunt: de quibus factum  
est iam tritum sermone Et vetustate proverbum  
Teutonicum, quo tales dicuntur deplorare miseriam  
ebrietatis.

XXXVI.

Caterium quo minus semper lacrimis genæ ma-  
deant, obstat tūm emissarium, quod tanti sper connive-

C re, do-

re, donec ab impulso alicunde humore reseretur, sensus  
perfluentis iterq; præmolientis lacrima documento  
fuerit: tum etiam glans ad congressum utriusq; palpe-  
bra, velut obex humorum impetui & defluat illuc re-  
dundantia opposita, foraminiq; è maiori angulo in ca-  
pacitatem narium rectâ deorsum pertinenti obiecta,  
qua aquosum & tenuem humorum excipit atq; depo-  
nit in sinum, absq; quaglande foret, oculi in lacrimis  
perpetuo natarent, quod venire ijs usu solet, quibus ea  
vel ab ortu deest, vel ferro adimitur, aut preterlaben-  
tis humoris medicaminisù foris instillati acrimonia  
depascitur.

### XXXVII.

Δακρύων alia ἀκόσια dicuntur, alia ἐκόσια. Ακόσια all-  
tem talia sunt, vel τῶς vel ἀπλῶς. τῶν ἐκόσιων genus si-  
militer bipartitum est: aut enim sunt κατὰ προέξεσιν,  
aut μὴ κατὰ προέξεσιν,

### XXXVIII.

Cumq; ἀπλῶς ἀκόσια vocentur Τάῦφ' ἡμῶν γινόμενα τνὸς  
ἔξωθεν αὐτογόνοντο, lacrima merè & absolute ἀκόσιοι illæ  
erunt, quarum causa & principium extra nos sunt  
posita, & forinsecus adueniunt, quæq; fluunt κατὰ ἀνάγκην.  
n. 21

νοή κατὰ βίᾳ, citra Ἐγρ̄ præter arbitrium, neq; corde quic-  
quam administrante.

XXXIX.

Referri autem ad has potissimum causas pos-  
sunt. Aut cidentur enim tales lacrimæ à calore ven-  
ti vel aëris, fundente liquanteq; humiditates cerebri,  
vel leniter etiam ac latenter diuellente continuum:  
Aut ab acrimonia fumi vel halitus, rerum acrum  
ac mordentium, ut crudarum cœparum in frusta con-  
cifarum, quæ Columellæ inde lacrimosæ dictæ sunt, &  
allij, sinapis, raphani: sive nidore eorum foris statim,  
aut, dum eduntur, transmissa respiratione oculis adi-  
gatur, sive per os cribri more varie pertusum traijcia-  
tur, sive per bifidos narium tramites palatiuò for-  
mina inuehatur, & basin cerebri perstringat: Aut  
à splendore Solis, præstringente videndi aciem, ac lan-  
cinatu dolorem inferente: Aut vi frigoris exstrin-  
gentis: Aut à rapido frigidioris venti in oculos in-  
currentis impetu: Aut deniq; à festuca sabuliue illa-  
psu, à contusione & frictione oculorum, à vibratu  
velictu, tām capit is uniuersi, quam oculorum.

C 2

Δάκρυ-



XL.

Δάκρυα τῶν ἀκόστων non extra, sed intranos principium  
nacta esse videntur, utpote violentum vomitum, aut  
etiam capitinis partiumq; inferiorum agitationem, ex  
soluto risu sive cachinno, vel eodem inter præcordia co-  
acto, è citatiore cursu: tūm humoris prouentum, aut  
congestu quodam redundantis in cerebro, aut de mole  
halitum pertemulentiam progeniti, et in oculos pro-  
cumbentis, aut vi eò abiecti, ut in variolis: ad hæc do-  
lorem oculi, ex inflamatione, palpebrarum ulcere,  
aspritudine, earundem connuentia, crebriore nicta-  
tione, directione aciei, aut ijs obtutibus, qui ἀσημένιοι  
sunt, hoc est, oculis fixis atq; immotis: deniq; capitinis  
repletionem, ex operosiore enixu τῶν σονθάλων, ex oscita-  
tione, ex retentione animæ inter operandum, interbi-  
bendum ἀμυνὴν πανεύσι, id est, raptim ductimq; sineq; in-  
terspiratione.

XLI.

Anæsiois accensentur lacrimæ perpetuò in ijs exstil-  
lantes, quibus ἐγκαύδιοι aut statim à nativitate deest, aut  
postea plus aquo incantius detrahitur, aut ab humoris  
tam intestini, quam foris instillati, vel puris acrimo-  
nia absunta, aut ferro per incisionem unguis, caute-  
rioue exempta est.

XLII.

Vtrumq; τῶν ἐκσοδίων genus caussam & principium  
commo-

commouendarum partium, quæ fons sunt & riuli  
sue emissacula lacrimarum, intra se habet, nempe  
phantasiam & προαιρέσιν.

### XLIII.

προαιρέσεως autem nomine hoc loci strictè utimur,  
quemadmodum alicubi Aristoteles: complectitur ea  
λόγον καὶ διάνοιαν, hominis solius & propria, neq; commu-  
nis ei cum brutis naturis, quæ eius capaces neq; sunt, &  
esse omnino nequeunt.

### XLIII.

Proinde δάκρυα ἐνδυτα & προαιρέσα verius brutis tribuun-  
tur, & in eorum genere illis etiam, quæ membranam  
habent ab oculis obeuntem, τὴν γκανδίδην subnatam, ac  
prætentam ei cartilagini, cui nostro quodam iure in hi-  
storia muscularum à rhombi forma nomen fecimus, et  
σομβοεδή appellavimus: merito cuis animantes cre-  
duntur σκαρδαμύτερ, id est, nictari ac conniuere.

### XLV.

At qui brutis non solum competit huiusmodi la-  
crimæ, ut equo, ceruo, apro, crocodilo &c. sed etiam  
pueris, quam diu sanè in ipsis τὸ φαντασιόν dominatur,  
neq; dum rationis & mentis usita excellunt. Nam  
secundum Aristotelem Τὰ ἔκπασίαν πάθει, ἢ τὰ ἀλλαγῶν κοινωνίαν,  
προαιρέσεως δὲ οὐ, id est, voluntarium & puerorum & ali-

C 3 arum

arum animantium commune est, propositum non est,  
idq; eò quidem, quòd τὸ ἔνθετος notio pateat latius.

XLVI.

Pueris non immeritò & adultiores annumeraveris, & moriones siue fatuos, qui principum in delitiis sunt, & quibus in morbis ab alienata mente lacrima profluunt: ad hæc senes etatis vitio desipiscentes, inq; pueritiam quasi postliminio renolutos.

XLVII.

Lacrimas κατὰ προδίγεον crient animorum perturbationes, & quidem non eodem modo, sed variè ac diuersè, perinde ut cor aliter atq; aliter afficitur, opeq; fibrarum, quibus intextum est, sese incitat atq; impellit, idq; pro obiecti conditione tam falsi atq; ementiti, quam veri. Nam & hic illud Sophocleum locum habet. τὸ νομιθέπ τῆς ἀληθείας ηγετεῖ, opinio pro veritate obtinet.

XLVIII.

Modò enim cor ceu gestiens latitia voluptateq; exsilit atq; insurgit, thalamosq; suos adaperit: modo subsidens rursum eosdem, non citra doloris sensum, contrahit: non etiam nunquam motus hosce miscet, & momento induit deponitq; vicissim, atq; adeo secum unà cerebrum, quo cum lege confortij iunctum est,

est, vibratu plane mirifico, & sensum omnem atq; rationem fugiente percellit.

XLIX.

Dum contrahitur in se, atq; constringitur cor, ut in leuioribus doloribus, angoribus, metu, tristitia &c. calor & spiritus (quibus ad omnem actionem tanquam instrumentis primariis anima utitur) & una sanguis ad principium unde libet arcessuntur, ac paullatim abducuntur: quod dum fit, praeter cetera, qua in summo corpore sunt, cerebrum frigescit, & humores in eo superuacui naturæ fugientis, & ad loca sibi penitiora descendenter regimine destituuntur, qui iam permitti sibi ultrò effluunt, tum frigoris, quo meatus arctari solent, impulsu quadam tenus etiam exiguntur. ή γαρ λύπη τύειν  
κοι πύκωστιν ἐγγάρεται τῶν πόζων: de quibus, satisfaciant in assiduis mærentium doloribus, nec ne, videndū deinceps.

L.

Basilius cognomine Magnus libro ὁρί θῆς εὐχαριστίας, & frater eius Gregorius Nyssensis libro de opificio hominis, & quotquot eum secuti sunt, inter quos est Meletius Philosophus, quiq; in eandem sublabi sententiam videtur, Grammaticorum catus uniuersus, tantum à doloribus cieri lacrimas autumant, visceribus & instrumentis respirationi deseruientibus, contractione sui

sui in caput venum vaporem exstringentibus, qui collectus intra canitatem cerebri, per conferentia emissaria, ad imam partem eiusdem, visibi exitum postea moliatur.

L.I.

*Quae quidem opinio sanè non pauca habet prorsus ἀφύσικα κατόπιν, cùm humor in cerebri ventribus citra discriminem & offendam virtutis animalis colligi atq; exagerari posse non videatur, & compressis corde ac visceribus impediatur potius, quàm ad cerebrum extrudatur euaporatio, interceptis nimirum meatibus: deniq; testetur experientia, etiam gaudium lacrimarum ferax esse, ut non perperām scripsisse videatur Xenoph.*  
*Ελλών: Κοινώνια χαράς καὶ λύπης δάκρυα καὶ γέλων.*

L.II.

Ideo Caius Rhodiginus 12. lect: antiqu: c. 3. omnium illorum sententiam restringere ad eum dolorem ex Aristotele videtur, in quo cor solito vehementius subsultat, caloremq; explicat suum, cuius vis humor sequestrari postea queat: aliter intus ab adiutorio calore circa cor fernere quidem humorum ac bullire, sed non euaporare, propter meatum occlusionem.

L.III.

Dum cor hincit & aperitur, ut in gāudio, lāticia & amore, quo complectimur etiam σογγὺς φυσικὸς δευόρη τέλεωρ φίλαγος, calor suo comitatus assecans nempē spiritu è cor dis

dis castro quoquo uersum, præcipue verò in cerebrum  
leuitate sui euolat, quorum vestigia persequentes fu-  
ligines, velut agmine facto, eodem proruunt, neq; so-  
lum vias laxant, sed contentas inibi humiditates fun-  
dunt incitantq;.

LIII.

Secundum qua ab unoquog; iam facile statui po-  
test, quemadmodum in mixtis affectibus lacrimæ ef-  
fluant. Vbi hoc vice cuiusdam axiomatis tenendum:  
Respici oportere ad τὸ ἐπειγόν θάμον μορπὴν, hoc est, ad e-  
um motum, qui momenti est maioris, ceterisq; diuti-  
us durat, ac prædominatur. Verbi cauſa: in ira, qua  
rētis est Εἰς ἀνθρακὸς quidam sanguinis, tristitia vix  
momentanea est: ast ei succedens ὅρεξ αὐτιῶν ωρῆσεως  
multò durabilior, in qua ab ebullitione sanguinis Εἰς  
spirituum elati sumi excrementitiam cerebri humiditi-  
tatem dissoluunt, Εἰς ad oculos protrudunt.

LV.

Est ubi duo affectus planè contrarij illi concurrunt,  
virib; aliās parib; aliās imparibus: si parib; tam diu  
iniicē collectabūtur intus Marte dubio, donec refrā-  
ctu mutuo soluti in lacrimas pariter eluantur. Cuīs  
farina est πόδης τῇ κασᾷ οὐκ λύπῃ σύμμικτος, à Xenon-  
phonte ηλαυσίγελως nuncupatum, qui est risus lacrimis.

D inter

intermisus, seu risus (ut ita loquar) lacrimosus: Quo  
etiam Andromache Hectorem in prælum egressurum,  
simul ac in sinum excepisset ab ipso filiolum, prosequi-  
tur δακρυόεη γελάσασα. In Medea ob iniustum repudium  
filios, quos ex Iasone susceperebat, trucidante.

Ira subest lacrimis, miseratio non caret ira,  
Alterutrum videoas ut sit in alterutro.

## LVI.

Quin & in congressu duorum impari, uno vincente  
alterum, lacrimæ de cordis vibratiore assultu manant,  
idq; experitur in se unusquisq; τῶν εὐπαθῶν ἐχόντων. Ut  
cum desperatione spes bona confligit & superat: &  
cum in priuignis ad nouerca tumulum flentibus, &  
hæredibus diuitum, τὸ πέποιθε σue decori atq; officii  
ratio intestinum gaudium euincit: de quibus iam o-  
lim iactatus iocus est à Publio: Hæredis fletus sub per-  
sona risus est, aut, ut Agellius citat in Noctibus At-  
ticis, Risus personatus.

## LVII.

Quales quales autem & cuiuscunq; generis fuerint  
motus isti, quibus cor & vna cerebrum fons lacri-  
marum perturbatur, elicere lacrimas vix aut omni-  
nō non poterunt, nisi vehementes sint concitatiae, atq;  
impetu quodam irruant.

Sed

## LVIII.

Sed et adiuncta iisdem esse debet spes, et προσδοκία  
τύμων, in primis autem, et quidem perpetuò, οὐ τινα  
σπλαχνια, qua quis serio caritatis sensu, ex sua ipsis ac  
propria, vel alterius infelicitate mouetur, sive ea prestò  
sit et pro foribus, sive à tergo immineat, sive iam du-  
dum etiam præteruolari: quæ virtus, ut hominis pro-  
pria, ita excellenti, sed minus usitato nomine à quo-  
dam ἀνδρεπίᾳ indigitata est.

## LIX.

Vt enim rationis exortia met ipsa quoq; doleant:  
tamen neq; καλάγχυα δικτημῶν habent, neq; ut Plinius lo-  
quitur, illæ lacrimæ misericordia in naturam eorum  
cadunt, quippe quæ fluere absq; διανόια nequeant, altius  
reputante acerbitatem casus, eamq; conferente atq;  
accommodante ad respectum meritorum, aut digni-  
tatis vel propriae, vel eius, quem casus iste affigit.

## LX

Hac et si scimus plerisq; visum iri præter histori-  
cam fidem, vera tamen sunt, et ita fieri constat. Quod  
si, ut Alexandri fert opinio, aut à spiritu, qui per ango-  
rem affectus est, aut à meatuum propè oculos spissi-

D 2      tudine

tudine exprimeretur, vel oculorum, vel qui in proximis cerebri duccibus continetur humor, ne in mœsticia & dolore nimis citò, neq; magna cum allevatione lacrima deficerent.

LXI.

Verum quemadmodum cieatur cerebrum, & ad profundendum lacrimas, vel minimo puncto temporis, à corde ceu instigetur, in eo verò caligat, ac tantum non cæcutit acies humani ingenii, quamlibet alioqui perspicax, submittens imbecillitatem captus sui maiestati numinis, nihil non optimè dispensantis, licet in causarum indagine mens adhærescat: sicut neq; dum ipsi explorata est planè mirifica illa sympathia, et consensus harmonicus cordis cum cerebro, & proclivitas unius ad obsequium alterius.

LXII.

Neg; enim pusillus ille Vesalij nervulus curioso indagatori facere satis potest: neq; τάχεια & cohors nervorum sanè quam numerosa, quam primus obseruauit Fallopius, Anatomiae proceribus approbatur: neq; de κοινωνίᾳ vasorum, vel ultiro citroq; reciprocantium spirituum: neq; deniq; de συγγοΐᾳ aut συμπνοΐᾳ unius corporis, consentiens, conspirans, continua tamen cognatio principum illarum partium, deduci posse videtur.

Ast

LXIII.

Ast ne de eo quidem nisus habemus, in quo cardo  
vertitur totius argumenti, quo de agim⁹ in præsentia,  
nempe cur ex cunctis animantibus homini tantum  
veræ illæ lacrimæ, quarum thesis s⁹ meminit, quemad-  
modum & risus, datae sint. Quare caussam à nobis  
sciscitanti, quod respondeamus aliud non est, quam  
quod olim in scholis curiosus percuntanti, quo pacto  
nix existeret, respondisse quendam ferunt: quia DEVS  
sic vellet, hæc scilicet verba ingenui candidiq; animi,  
bona fide pignori relinquenter, cum debitum non pos-  
set persoluere. Non enim aliunde erui posse caussa la-  
crimarum, ut et risus in hominibus videtur, quam ex  
potestate quam in corpus habet anima.

LXIII.

In ingentibus subitisq; & ex improviso inciden-  
tibus animorum consternationibus, vix tamen raro, id  
est, lymphaticis paucoribus, & ubi malorum libera-  
tioni planè iam desperatum est, ideo nihil lacrimarū  
prodit, quod cor repentino confertoq; recursu caloris  
vitalis spirituumq;, velut attonitum fatiscat, tum eti-  
am obrigescat cerebrum, & humores in eo velut gelu  
durati consistant, idemq; prorsus accidat homini, quod  
prehenso ab eo affecti cerebri symptomate, quod nātoxop

D 3

&

Et natae lachrymip nominant, non aliter constupescenti, quam  
qui Iouis ignibus ictus vinit, Et est vita nescius ipse  
sua. Graci ἐκπετυφωμένοι καὶ ἐμβεβροτημένοι dicunt.

LXV.

Quò pertinent authorum illa: Ut Synesij constitutione altera: τὸ δάκρυσμα ἐνίσθι μεγέθε πῶμ σωτυχόντωρ πακῶρ εκπλαγέντας ἐπέλιπε: Lacrimæ nonnullos ad miseriарum magnitudinem attonitos defecere. Apud Herodotum in Thalia, cùm Psammenitus ad mortem duci filium vidisset, tacitus sedit, vultu humi defixo: cùm verò de amicis inopem quendam, illacrimans caput manu tutudit. Quæsusit caussam respondit, τὸ μὲν τὸ ἔταιρου πάδος ἀξιον ἔνοι δακρύσωρ: Τάδε δικτια ἔνοι μέζω κακά, Κώσε ανακλαύειρ, Amici calamitatem lacrimis posse significari: at mala domestica lacrimis esse maiora: hoc innuens, quod est in 2. Rhetic. cap. 8. Aristotelis (ubi ad Amas in illa refert) εκένο μὲν εἰλευθόρ, τότο δὲ δευθόρ: illud miserabile esse, hoc verò atrox et terrible, hoc est, ut Philosopher hoc posterius explicat, εκκρεσμὸν τὸ εἰλεύον. Leues curæ, inquit Seneca, loquuntur, ingentes stupent. Nimis exaltat<sup>o</sup> Niobe poëtis fingitur lapidea, propter aeternum credo in luctu silentium.

LXVI.

Etsi autem animorum perturbationes de genere eorum

orum non sunt, qua dicuntur φύμη, id est, in nostra  
voluntatis sita liberate, natura legibus non imperio vo-  
luntatis subiecta, quo nomine λύσις dicta sunt Demo-  
crito ἀδεῶσι: illas tamen nunc exasperat, nunc τὸ σφοδρόν  
earum reprimit cohabetq; mens consideratione cir-  
cumstantiarum: Ετύπι ultra citrāne modum se inci-  
tando peccant, ingyrum ducens sibi audientes obtem-  
perantesq; reddit, Ετ ad mediocritatem revocat, un-  
de gignuntur postea ἀγελαὶ ὑδικαι, ἐλλείψεως καὶ περβολῆς μεσότη-  
νεσσούσαι.

### LXVII.

Similiter lacrimis que ciuntur à motibus animo-  
rum, moderari mens potest, Ετ vel ijs sese dedere mu-  
liebriterq; indulgere, vel ab ijsdem sibi temperare, mo-  
dò suspendere, modò renouare, pro conditione Ετ sen-  
su affectionis cerebro à corde communicata atq; im-  
pressa: ut hoc etiam iure lacrimæ προσαρέκαι sint Ετ ap-  
pellari debeat.

### LXVIII.

Et quod est amplius, ne tūm quidem προσαρέσεως no-  
men lacrimis potest abnegari, quando pro βαλκαι ea ac-  
accipitur à quibusdam, Ετ voluntatem indicat: quam  
rectè id fiat, nunc quidem nihil moramur, et si philoso-  
phum

phum inter ambo illa distinguere nos minimè latet.  
Quid est enim quæso προαυγεῖνωπερ, aut perinde βαλητὸν  
atq; affectatum illud ac nimis exquisitum lacrimarū  
genus in gnatonibus, et Mimis ἡ δολόροις, meretricibus,  
ac præficiis, mercede qua conductæ flent alieno in fune-  
re, idq; venali quadam misericordia, & in genere mu-  
lierum vniuerso, quod δημοσίες est ἐν οὐρανῷ quibus ni-  
mirū non modo corda ita assuefacta sunt sua, ut affe-  
ctus quoslibet suo sibi arbitratu induere, et more histri-  
onis vultu repræsentare possint: sed & oculi ad flendū  
longo usu quasi condocefacti, atq; omnino erudit i, sive  
ad assentandum, sive ad struendum aliis insidias sive ad  
aucupandum amorem, mercedem, aut alia id genus.

### LXIX

Cùm apud Homerum videt Ulysses Penelopen  
deflere fata sui mariti, quem ignorabat assidere sibi,  
reprimit se ac δόλῳ δάκρυα κεύθε, id est, lacrimas astu occu-  
lit: de quo pronunciat Plutarchus in comment. de  
virtute morali, quod habuerit καδινοοπ τῆς κρίσεως, καὶ τὸ  
πρώμα, καὶ τὸ διάμα, καὶ τὸ δάκρυον, id est, spiritum, sanguinem  
& lacrimas rationis dicto audientes.

### LXX.

In lacrimas proni sunt, seseq; lamentis dedunt,  
quicunq; è viris animos gerunt muliebres, ἄναιδεσι ap-  
pellati

pellati, & puerorum atas neq; dum potis τῷ θυμῷ εἴδει  
imperitare: adhac corporis constitutione prædicti tenera,  
molli atq; effeminata, cerebro vdo humectoq; & lan-  
guido, dediti Veneri & ingluuiiei, ἐν σπλαγχνοῖ. & ad mi-  
serendum proclives, generosi secundum proverbum,  
quod ad Zenodotum refertur, & citatur ab Eusta-  
thio: Ilia. α. αγαθοὶ αριστάκρουες ἀνδρεσ. Item natura distorti  
ac peruersi, quoties eos spēbus eludi frustrariq; suis con-  
tingit: ἐν φαντασίω τοι qui ingenuè ingenioseq; concipiunt  
imagines rerum absentium, animoq; representant suo,  
in affectibus longè potentissimi. Deniq; ἀνεόχολοι οὐδὲ  
χολοι temperamento corporis calidore & humidore,  
quibus et si ira subito concipitur, satis vehemens illa:  
iustis tamen ad sui vindictam destituti armis, neq;  
ferre eam, neq; concoquere queunt, estimationemq; in-  
iuria & fletu mulierum more elidunt, vel minimis pertur-  
bationibus succumbentes.

## LXXI.

Ἄσθνεοι sunt, quibus πόσοι δάκρυοφόσοι per angusti sunt  
atq; impediti, angulorum carunctula supra modum in-  
creuit, ita ut arctet meatus, cerebrum pumice aridi-  
us est: Qui item ἀλυποι sunt indolentes, ἀποπληκτοι sine stu-  
pidi οὐδὲν θυμοι, horridi & rigidi, naturaq; immites &  
feri μῆδυσες: & inter τοὺς ὄξειδύμε, temperamento præ-

E diti

diti calido & sicco, quibus inest re di φορέων καίναι διά  
πυγον πρός δύση, quibus bilis in nasum concitur, quiq; in  
fermento toti sunt. Nam horum scintillantes oculi  
vice lacrimarum ignem spirant.

LXXII.

Sed & aliunde, quam ab efficientibus causis, lacri-  
marum differentiae desumi possunt. Ac primū quidem  
demonstratio discriben parit: alia namq; tenues sunt,  
alia crassæ, alia mediocres, pro natura humorum et ca-  
loris, serum abijs secernentis, demenso, foraminumq;  
efferentium angustia vel laxitate.

LXXIII.

Deinde Qualitas, quam tactus deprehendit. Hinc  
quædam sunt calidæ, quædam frigidæ: illæ vincentis,  
hæ contra debilitati caloris argumentum sunt. τὸ ρᾶ  
ἄπεπτον τυχόν. τὸ δὲ τιμημένον δεμόν. Frigidæ sunt eorum, qui  
valetudine oculorum laborant, & moribundorum.  
Calidæ tamen ridentium, quam mærentium, et si, qui cu-  
tis in facie respectueas metiuntur, securis de lacrimis ri-  
dentium pronunciare solent, quibus sensus iudicio fri-  
gidæ censentur, perinde ut lotia τῶν δεμολογών πάροι.

LXXIII.

Tertio Quantitas. Vberas quidem lacrimarum  
prouenit ab ichorum, & materia potulentæ, cum in-  
venis

venis uniuersi, tūm in cerebro redundantis copia, &  
à cauſſa tam foris oculum urgentis, quām intus con-  
percellentis vehementia. Quibus suffragatur spir-  
mentorū expedita amplitudo, & caro <sup>τῆς ἐγκανδισ-</sup>  
<sup>τομφωδεσία, vel omnino deficiens.</sup> Contra parcius fluunt,  
accitius inaſcunt, ubi ſecus illa ſe habuerint.

LXXV.

De ſapore lacrimarum quæſtio eſt apud Plutar-  
chum in eo libello, quo euentuum nonnullorum ratio-  
nes promuntur naturales: cur nimirum ſuum agre-  
ſtium lacrima dulcis ſit, ceruorum contrà ſalſa & im-  
proba, dum capiuntur. Apponitur cauſſa, frigus in  
ceruo, calor in apro.

LXXV I.

Cuius lectionis veritas poſſet alicui ſuſpecta vi-  
deri, niſi author idem verbis iijdem repeteret <sup>τ. επιπο-</sup>  
<sup>σιακῶν</sup> Probl. 2. atq; obſtaret nobis Aristotelis Illud  
in <sup>τ. ἐγκλιών προελημάτων:</sup> (et ſi in hiſ tanquam <sup>ἐξωπεριοῖς</sup>  
<sup>λόγοις</sup> probabilius quām limatiuſ, magiſq; ad vulga-  
rem populařemq; ſenſum accommodatè diſputat)  
Quæ incocta ſunt, inquit, ſapores habent deteriores,  
hoc eſt, aut acidiores, aut ſalſiores, aut amariores:  
contra quæ concocta maturaq; ſunt, dulces aut minus  
iſſuaues.

LXXVII.

Etenim in animantibus, quae regidissimae vixi, purissimae, & velut aper animosa sunt, ut excrementa reliqua calida sunt, salsa & amara: ita & lacrimæ, quæ tanquam reliquæ sunt humoris serosi, tenui bile perfusi.

LXXVIII.

Ideo Scaliger, quo nemo ferè post Aristotelæos in docendo edisserendoq; subtiliore est, nemo argutior, commentario in libros de plautis, qui Aristotelis nomine proscripti sunt hactenus, lectionem istam ausus fuit censoria quadam notatione mutare in sententiam contrariam: cerui, inquit, lacrimam dulcem esse, apri e contrario saltam, Plutarchus scribit

LXXIX.

Cælius et si 12 lect. antiq. cap. 5. ad limandam veritatem interpretatione utitur satis commoda & nequaquam callida: postea tamen lib. 30. cap. 1. nimis abditum hoc esse, & ab intellectu deuium, inq; naturæ maiestate reconditum latere fatetur, quod ingeniorum solertia nondum satis videatur excusisse.

LXXX.

Nos qui asserere antiqua malumus, quam muncronem ijs admouere styli censorij, per cerui lacrimam existimamus propriè sic dictam in brutis lacrimam à Plutar

Plutarcho non innui, (omnis enim falsa est, & tam  
aprugna, quam ceruina) sed nimis potius, cui natura  
proxime subter oculo oblongum folliculum, osse ma-  
xilla illic dehiscente, affabre in ceruis machinata est, in  
quo viscidine coagulata sua colligi queat, unde etiam  
eruitur, spirans initio βρομωδές & propemodum ut suum  
iugulatorum tergora, dum setæ diripiuntur, superfusa  
feruente aqua. Processu temporis εὐωδίας acquirit, adeo  
pertinacem, ut totum septennium illibata possit asser-  
uari, quod de periclitatione Ioh. Langij nobis liquet.

LXXXI.

Salsioreæ est in fugace ceruo, propter implicata  
sordium strigmenta, illuuiem sudoris, & λεπίδας cu-  
ticula, atq; pilos, quorum radices viginis acrimonia  
exest atq; corrumpit. Apri contrà, ubi in venatu ex-  
canduerit & exarserit in furorem, dulciore est, eò quòd  
τορίπωμα πηκτικός (ita ex Galeno supra nimis de-  
finimus) exquisitus percoquatur, à plurimo feroore  
raptim se ad oculos promente.

LXXXII.

Quod in orientalibus terrarum tractibus, maximè  
verò in Persia, ceruis circa annum etatis centesimum,  
ad canthum oculi perhibetur accrescere ipsis ossibus,  
atq; in os protuberans concrescere ea duritie, qua cornu

E 53 supē-

superet, insigninitore fului coloris, non sine vestigijs  
atriorum venularum, insupertanta lauitate, ut tactus  
eludat, id nimirum ἀποιοπ est, neq; sensum afficit, ac ne  
tentat quidem, ετ à quibusdam pro lapide putatur,  
quem gentilitio nomine Albezahar appellant, haud  
scio quam recte, inquiriturq; venatoribus admodum  
studiosè, contra quævis venena amuletum presenta-  
neum.

LXXXIII.

Auicennas aliud genus lacrimarum natuum vo-  
cat, quasi insitum nobis ετ congenitum, et ab ipso iam  
ortu acceptum: ut cum caruncula angularum aut de-  
est à natura, aut paullò nimium exigua est: aliud ac-  
cidentale, aduentitium, temporeq; in nobis iam editis,  
extrinsecus acquisitum. Accidentalium rursum  
aliae continuae sunt, quibus similiter caussam præbent  
defectus ἐγκαρκίδος, aut deminutio eiusdem ex admotu  
medicamentorum acrum, aut sectiones της περιγονου sine  
unguis perperam administrata. Aliæ interpolatae,  
cum vel sine morbo, ετ que sequuntur debilitatem  
της καθεκτικῆς aut ἀποκεκτικῆς δυνάμεως τὰm cerebri, quam ocul-  
orum: vel alias quascunq; caussas.

LXXXIII.

Signa diagnostica sunt oculorum fluentium sine  
lacrimantium, grauitas capitis, ετ cerebri nimium  
onusti

onusti annixus, gestientis sese à superfluentia materia  
crebriore sternitatem exonerare.

### LXXXV.

Per autem multum refert scire, num à venis quid  
mittatur, & à quibus. Si enim ea aliquid contule-  
rint, quae intra caluariam & cutem sunt, adest ten-  
sio cutis cum pruritu quodam atq; lacinatu, si præ-  
sertim humor sit acrimonie particeps: & pilorum de-  
fluuium: Sin reliqua, quae intra caluam sunt, nares, in-  
tus pruriunt atq; palatum.

### LXXXVI.

Tam viscerum, quam partium propter oculos si-  
tarum lesionem produxit depravata dispositio, & do-  
loris afflentis sensus.

### LXXXVII.

Lacrimas nativas negat Avicennas vlla adiu-  
uari ope posse. Est & Celso superuacula curatio in  
ijs, qui ab infantibus id vitium habent, necessario  
mansurum, ad mortis usq; diem. Prius tamen  
quam una cum estate adoleuerit, aut confirmatum  
sit, parere remedij solet, ut in puerulis. Ideo Avicen-  
na, quasi oblio sui, paullo post dicuntur difficiles  
curatu.

Sed



LXXXVIII.

Sed & illarum curationi desperandum est, quæ profluunt διὰ ἀρρενωπίας, aut (ut Philotheus velut interpre-  
tando illa alibi loquitur) διὰ ἔχαρτων ἀπονίας τῆς καθηκυνθέσθαι  
μεως, insit & non solum cerebro, sed & ἐγκένδισι, ipsius oculi  
substantia, & horum muscularis: quod in acutis morbis  
est ὀχέδριόν τε καὶ δακτυλῶν, id est, marcescentis vita indicium:  
cuiusmodi lacrimæ mortem proximè antece-  
dunt, quemadmodum sudores gelidi, è collo & capite.

LXXXIX.

Lacrimæ χειροπέδου curantur difficilimè, siquidem  
humor annorum decursu sensim fit acrior, erosioq; com-  
muni sinu aliò cuniculum agit, ac tandem in fistulam  
abit.

XC.

Facilius curantur lacrimæ, quas sustinet humor ve-  
narum & arteriarum extra caluariam, quam quæ fo-  
uentur ab humore venarum internarum: Illæ enim  
statim obviae sunt: hæc intus reconditæ, & minus accessæ  
medicamentis.

XCI.

Lacrimæ in febribus acutis, magis autem arden-  
tibus, alias cum, alias sine voluntate profluunt: illis  
quidem nihil absurdī malicie præfigitur, nisi quod ab  
überioribus dolor interdum capiti infertur, à prepar-  
cis

cis immoda cerebri siccitas arguitur: Hacontrā  
ταχαφύσιψ quidem sunt, sed dissimiliter. Aut enim cæ-  
tera signa non pessime se habent, & virtus sibi ipsa  
etiamnum constat, expectaturq; sanguinis è naribus  
eruptio, circa statū morbi, antegressis coctionis signis:  
aut reliqua φλάγμωσι ὀλεθρίως se habent, & mors præ fori-  
bus est, ob supra indicatam caussam.

XCII.

Frigida lacrimæ semper mala sunt, at vero in acutis  
febris prorsus exitiosa, utpote quæ præsagiant, τὰ  
τὰ σεξεὶ μόρια διοικταρ φύσιψ (Hippocrates ἔμφυτον δερμὸν no-  
minat) aut iam modo extingui omnino, aut brevi post  
extinctum irj. Sed & calida in acutis mala, ob calo-  
ris colliquantis in cerebro incendium.

XCIII.

Similiter mali aliquid perpetuo denunciant, quas  
in mærore intus cohiberi contingit tam cordi quam  
cerebro: illi quidem ex retenta fuligine, calori spiriti-  
busq; vitalibus longè infestissima: huic vero, quoniam  
metus est, ne humor in ventriculos expressus repenti-  
no sit exitio, conculcans spiritus, animaq; functiones  
pessundans perimensq;.

XCIV.

Nimis quam salsa lacrima exulcerationem inter-  
F mina-

minatur, non solum carneo corpori, sed & oculis & palpebris, tum genis etiam, quas delapsu suo perstringunt.

XCV.

Crassæ lacrimæ, si tenuibus succedant, signum sunt coctionis: si easdem præcedant, caloris imbecilli. Tenues significant angustiam meatuum, frigidam intemperiem, & morbi diurnitatem.

XCVI.

Nimis ubertim profusa lacrimæ dolorem capitum indicant, vel presentem iam, vel impendentem. Etsi autem copiosa lacrimæ inter initia oculos turgidos, seqꝝ ipsis maiores reddere videntur: diuturniore tamen mora eosdem extenuant, & ad tabem deducunt, usqꝝ adeo debilitantes eos procubitus suo, ut alimentum conficere suum amplius nequeant, immò inkadꝝ iam confecti alimenti secum euellentes atqꝝ eripientes.

CURATIO.

XCVII.

Lacrimæ natæ physis, qualis nunc quidem ea est, (sunt enim lacrimæ idiomata φλαγμῆς φύσεως) opem medentis non desiderant, cum naturæ ex usu sint, cerebrum nimio aggrauatum onere superflorum voluptate quadam alleuent, oculos expurgent, ac simul rigando obun-

obungant: ad hac cor ipsum liberen<sup>t</sup> tam ab exusta fuligine, quam à tristi doloris sensu, quem exonerat atq<sup>z</sup> exhaustit in querelas: Vnde poetæ illud:

— Est quadam flere voluptas,  
Expletur lacrimis egeriturq<sup>z</sup> dolor.

Et confirmat experientia, ὡς οὐδὲν δύκεια τοῖς κακῶς πεπονθόστε: rursum vi coercitas lacrimas, & coactum inter præcordia dolorem, consequi plerumq<sup>z</sup> mala & vicesa, mortem deniq<sup>z</sup> ipsam. Ut enim flama obstructis spiramentis a proprio fumo suffocatur: ita οὐδενον μάστιχα τὸ χωρίον δώματος, quæ calori insidet, contabescere solet, nisi excrementa fauillacea, quæ sanguinis ardor commisit, mature se uocentur.

### XCVIII.

Quod sit amen intemperantius profluxerint, una eis potest mederi ratio, παύων φάρμακον Plutarcho dicta: in ijs quidem qui sunt ἔξω, id est, in populo & Ecclesia Christi non censetur, præsidio virtutis, sapientiae & institutis atq<sup>z</sup> preceptis sanioris Philosophiae, eius in primis, quæ τῷ θεῷ τῷ προφέτῃ μαρτυρat, & Moralis nuncupata est. In pijs accedit auxilium Spiritus sancti, in verbo, & per illud efficacis.

XCIX.

A medicis curantur duntaxat lacrima sine voluntate, citraq; nature prescriptum erumpentes, & ex his quidem, qua ab aliqua tam internarum, quam externarum caussarum originem duxerint, earum & augēte. Summotis namq; caussis, metips& evanescunt atq; exarescunt lacrimæ, nisi diuturniore mora & actionis vehementia, aliquod sui vestigium in oculo partibusq; finitimi reliquerint.

Idem iudicium est de ijs, que viscerum aliarumque  
partium consensu, aut vi morbi alicuius oculum infe-  
stantis, profluant, si nec ipsa vim causae induerint, neq;  
rationem habuerint  $\tau\delta$   $\pi\alpha\gamma\omega\tau$   $\Theta$  siue urgentioris, hoc  
est, neq; virtutineq; diadica obseruitur. Tum enim metho-  
dus contrà præscriptum artis invertenda, et ijs va-  
candum, morbo tantisper non quidem prorsus negle-  
cto, sed saltē pretermisso.

55

Αποκεδύσα initio opus est lacrimis à venis exteriorib⁹:  
Quæ comitantur deminutionem τῆς ἐπικαυθίδ⁹, eas cit-  
rant Galenus, Auerrhoës & Rhases, prauiatum cor-  
poris uniuersi, tūm capitis purgatione, & inspersione  
puluerum modicè astringentium, regenerantumq; car-  
nem deficientem. Præparari autem conuenit medi-  
camenta eiusmodi cum aqua decoctionis myrti.

Cæte-

CII.

Caterum ut alibi στοιχειονδιαι, ita hic quoq; re-  
spiciendum ad id est, quod ἡ τὸ πλεῖστον, plerūq; &  
maxima ex parte, accidere usū solet: Creberrimè au-  
tem proueniunt lacrimæ ex materia, vel qualitatem  
adepta præternaturam, vel iustum modum naturæ non  
tenente.

CIII.

Vitia qualitatis varia sunt: sed ex aquo omnia cor-  
rigenda profligendaq; rata illa & constante curandi  
lege per contraria: quæ nimis dote sua intemperan-  
tem calorem lacrimarum moderentur, ferociam coēr-  
ceant, crasitem incident ac tenuent, acrimoniam re-  
tundant, ne radat vias exulceretue, salsed inem & ni-  
troositatem mitgent, deniq; cruditatem naturam ad-  
intando emendent. CIIIH.

Vtrāq; materia tam hæc vitiosa, quam altera illa  
redundans, non solum è capite, sed vniuerso corpore  
debito modo ac ordine, perq; vias conferentes detrahen-  
da est, & meatus expediundi, quoad morbus & sym-  
toma penitus excindantur: minimè interim neglecta  
etiam venæ sectione, dum modo, quod repugnet, omni-  
nō nihil fuerit, & lacrimas vel inflammatio cieat, vel  
humor foueat in vasis &c:

CV.

Verum cùm morbus, unde symptomata hoc dependet,

F 3 non



non in totum factus sit, sed continuè fiat, aut sit ἐν τῷ  
rivedō, prouidendum ne fiat amplius, quod prestabi-  
tur, si capite & cerebro ab onere iam liberatis suo,  
& exhaustis reliquijs, non permiserimus in posterum  
superuacula inibi congeri atq; exaggerari, cerebrum  
& imbecilles oculos non modo roborantes, ut appul-  
sum ad se alimentum melius digerant, sed & aduer-  
sus nouam alluuiem probè munientes.

## CVI

Cerebrum roborant, pristinaq; reddunt valetu-  
dini, quæ familiari dote sua ei priuatim & egregiè  
iuando destinata esse creduntur, tām intrò assumta,  
quām foris admota: ea vnicuiq; lapsa temperies ce-  
rebri prescribet.

## CVII.

Omne ferunt punctum in eneruatis oculis in-  
staurandis, atq; confirmandis, auxilia μετριας sūtēwς και  
φύσεως ἀδηκτοτάτης participia, & quidem forma pulue-  
rum tenuitate atomis non absimilium, eò quòd alti-  
us impingantur, & combibant humores, impetumq;  
remorentur ac sistant.

Com-

CVIII.

Compertum est inter auxilia & nodus & regulas vini la-  
rice (qui est vinum igni eliquatum, vulgo aqua ar-  
dens dicta) nullum præstantius esse, ad exiccandas  
eas lacrimas, quæ ab impendio frigido humidoq; ce-  
rebro primordium ducunt, siue capiti applicetur, siue  
eo lacrimalia identidem de die eluantur.

CIX.

Per autem difficile est, haud scio an non pror-  
sus ἀσώπως, ut caput (quod εἰ intrinsecis causis si-  
ue iniurijs maximè obnoxium est, εἰ totius corpo-  
ris velut καπνοδόχεος siue fumarium) diu saltem, ne-  
dum penitus mundum sit atq; permaneat. Idcirco  
duæ aliae nascuntur εὐδείξες δεσπευλκαι: quarum una, il-  
lunies per oculos ferri solita, aliorum auersa distra-  
bitur: Altera saluis deductus materia intercipitur.

CX.

Auersio variat pro materia conditione atq; incli-  
natione, tūm situs partium opportunitate. Fit autem  
bifariam:

bifariam, alias ἀνθεπάσαι, alias ταροχετέοσαι: Illa fluentem adhuc humorē in diuersum aut contrarium reuocamus, inhibito eius cursū: hac impactum, & in agra parte iam modo consistentem deriuamus in loca finitima.

### CXI.

- In censu τῷ πάντα σπασικῷ βοηθημάτῳ numerantur aliui intestinorumq; diluicia, lotiones pedum, balnea tam aërea, quam aquæ ieuno instituta corpore ad sudationes assas & præhumidas, & ad utentis arbitrium temperatae: Vsus cucurbitarum cum vel sine ferro, vincula iniecta artubus, frictiones deorsum successiue & quasi membratim procuratae, moderandumq; inter haec, ut vires conseruentur.

### CXII.

ταροχετέοσαι inseruiunt apophlegmatismi, vel mansus & ὄντα κορυχεύσματα sive ταροχετέοσαι, oris item collutiones, et id gen⁹ alia, que non longo intervallo, sed via brevissima per palatum supervacua detrahunt. Sunt qui & ἐγγίνονται utantur, immisis in nares haustisue: quibus si meo arbitratu liceat, supersedendum potius, cum eorum ductu humores ad oculos appellantur: aut in naribus haurienda sunt capite resupino, ut mox per summum palati infantes relabantur.

Quod

### CXIII.

Quòd si malum peruicacius fuerit, neq; paruerit hisce auxilijs, prauitate iam duratū sua inueteratumq; tum deueniendum ad ἔκατα illa, censunt, cauteria, aut temporibus impressa, singula singulis, ut in lacrimis ζεοντάτως: aut ceruici: aut eo in loco ῥηγματῷ, ubi sutura coronali veruculata altera ad perpendicularum incidit, quem signat medius digitus manus, radici frontis ad summum narium insistentis. Dein fontanella recentium, interstitio duorum muscularum contiguorum in brachijs extrinsecus impacta, palmaris infra alas spacio. Tum παρακένθοις, qua cuius ad cauum occipitij unā cum carne, seu digitis, seu forcipē prehensa, acu pungitur, ad traiiciendum filum sericum. In quorum censu habenda εἰς αυτοὺς omnis generis, vesicas, vlcuscula & crustas in cute molientia, in collo & ponè aures.

### CXIII.

Materia intercipitur, si via aditusq; ad cerebrum & oculos intercludatur, quod intus fit ope eorum, quam tenues expirationes, tum fluxiones inhibent. Fronti & temporibus conferunt sistentia, & quibus i suorum ποιότης eximie inest: à quibus, siquidem voto

G non

non responderint, descendendum ad venarum sectionem retro aures positarum.

CXV.

Est ubi lacrimarum materia prorsus venenata est, & maligna atq; perniciosa, ut in lue venerea, & variolis, natura corruptos humores sua quadam vi ad oculos relegante: Hic ergo pernicies retro agenda non est, sed cauendum solum oculis, ne quid detrimenti ex humoris viroſi praeterlapsu capiant: Illic contrà ſonum eiusdem inhibenda protinus omni studio, ob praesentaneum discriminem, quod visui inde imminet. Proin eorum uſu interdicendum aegris tum est, qua ad cutim pellunt, ut Guaiaci & Pali sancti à Guaiaco distineti, Sarsa parilla & radicis Chinaram.

Errata.

Thesi 4 lege: Humor ipſe Platoni Ibid: pro mniū omnium.

39. palatiue

55. trucidante,

68. gnathonibus

93. contingit,

  
VITÆ BERGÆ  
Excudebat Zacharias Lehman  
anno Iesu Christi,

M. D. LXXXI.






Q 4077 a



55-





**Farbkarte #13**



DE LACRI<sup>1683</sup>  
MIS  
I R I V E N I M O N I I R  
P R A E S I D E N T O  
SALOMONE ALBER<sup>a</sup>  
TO NORIBERGENSI  
MEDICINÆ DOCTORE  
ET PROFESSORE EIVS PVBL.  
Disputabit

M. MICHAELVS HENIG DRES-  
densis;

Testimonium profectus sui in doctrina & usu artis me-  
dicæ accepturus,

Die Nouembris xvii. in lectorio Collegii Maioris  
mane hora vii.

VITÆ BERGÆ

11)